

### 1.3.3

*Idem A. ad Taurum pp.*

De his clericis, qui  
praedia possident, sublimis auctoritas tua non solum  
eos aliena iuga nequaquam statuet excusare, sed  
etiam pro his, quae ab ipsis possidentur, eosdem ad  
pensitanda fiscalia perurgueri. universos namque  
clericos possessores dumtaxat provinciales pensitationes  
fiscalium translationesque faciendas recognoscere  
iubemus.

*Data epistula prid. k. lul. Mediolano*

*Constantio A. X et Iuliano C. III consss.*

[a. 360]

### 1.3.4

*Idem A. ad Taurum pp.*

Officiales rationales, si exhibitione cursus seu primi pili necessitate  
neglecta, interversa etiam ratione fiscali ad clericatus  
honorem putaverint transeundum, ad priorem  
condicionem retrahantur.

1 ¶ Si vero obnoxii ratiociniis  
vel necessitatibus non sint, sub notione iudicum  
officiis consentientibus, si id probabilis vitae  
studium postularit, transferantur nec cessionem metuant facultatum.

2 ¶ Quod si clandestinis artibus  
putaverint inrependum, duas concedant liberis aut,  
si proles defuerit, propinquis e propria substantia  
portiones tertiam sibimet retenturi: si vero propinquorum  
necessitudo defuerit, geminae portiones officiis  
in quibus militant relinquuntur, portione tertia  
tantummodo retenta.

*D. IIII k. Sept. Tauro et Florentio consss.*

[a. 361]

### 1.3.5

*Imp. Iovianus A. Secundo pp.*

Si quis non  
dicam rapere, sed attemptare tantum matrimonii  
iungendi causa sacratissimas virgines ausus fuerit,  
capitali poena ferietur.

*D. XI k. Mart. Antiochiae Ioviano A. et Varronianoo consss.* [a. 364]